

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 61

Dulcissimo consanguineo suo Frederico. Ego Emmo eo quod mihi die noctuque pariter et fideliter cupiens servire, in omnibus bene obedire, propterea dono tibi res meas proprias in pago Condrustinse in villa Harfia super fluvio Albium mansum dimidium. Subjungit ipse mansus de ambobus frontibus : de uno ad potestatem sancte Marie et sancti Lamberti et habet de alio fronte ad potestatem sancti Petri et sancti Bemacli. Et habet ipse mansus bonuaria VIII et mancipia II in his nominibus : Theuterum, Seleugardam. Et frater senior meus Emmoni, nomine Wlbertus, dedit mihi in predicta villa bonuarium unum et mancipium unum nomine Helenam cum pratis et silvis super . . . ; [ea scilicet] ratione, ut quam diu advixerit ipsa res vel ipsa mancipia superius nominata habeas jure habendi, tenendi seu commutandi, vel quicquid exinde facere elegeris, liberam et firmissimam in Dei nomine in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod fieri non credo, si fuerit inpostmodum ego ipse aut aliquis de nostris heredibus seu quelibet ulla opposita persona que contra hanc donationem a nobis factam venire temptaverit aut eam infrangere vel immutare voluerit, inferat juribus auri libram unam, argenti pondera II coactus exsolvat, et quod repetit evindicare non valeat; sed presens donatio ista omniq[ue] tempore firma et inviolata permaneat, cum stipulatione subnixa. Acta in villa Wahart sub die III non. decembris in comitatu Arnulfi, anno XII regnante rege nostro Heinrico, sub testimonio omnium principum regni Lotharii. Signum Gisleberti ducis regni predicti. S. Emmonis et fratris sui Wlberti qui hanc cartam fieri rogaverunt et manu propria firmaverunt. Signum Heldradi scabini. S. Adelardi. S. Wigeri. S. Johannis. S. Stephani. S. Engoberti. S. Waltheri. S. Huchaldi. Ego Firmadus scripsi et recognovi.